



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. || Lv dovici || De Ponte Vallis-|| Oletani, È Societate ||
Jesv Theologi.|| De || Christiani hominis || Perfectione In
Qvo-|| libet eius Vitæ genere.|| Tomi Qvatvor.||**

Quorum argumenta ex S. Rvth Historia præcipué desumpta

Puente, Luis de la

Coloniæ Agrippinæ, 1625

§. 2. Ratio & modus cum perfectione iudicandi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39637

virtutis specie obducto iuxtam considera. Ne *pauperis* miseria titulo & nomine misericordiæ te emolliat; nec *potentis* excellentia sub specie illum honorandi, te flectat, aut mutet. Si enim hæc nomina & tituli, facti veritatem non mutant: non debent etiam iudicij rectitudinem immutare: vnde ipse DEVS dixit: *pauperis non misereberis in iudicio*, cum iniuria scilicet alterius, nam *misericordia* non aduersatur forori suæ *iustitia*; & quando DEVS aliàs monet: *in iudicando esto pupillis misericors, vt pater*: & pro viro *matri illorum*: id intelligit faciendum absque detrimento iustitiæ: sed quoniam huiusmodi personæ deserta facile ab alijs iniurijs afficiuntur, commendat iudicibus, vt cum pietate illorum partibus faueant.

SED ne silentio prætereamus verba illa: *non ita paruum audietis ac magnum* vt ex eo intelligamus: acceptionem personarum non solum habere locum in iudicio, sed etiam in *audiendo*, & præbendis auribus: Ideoque Iudices & Principes teneri, benignas præbere aures omnibus, eo auxilio indigentibus vt ab hoc fauore nec paruum propter suam paruitatem reiiciant; neque magnum propter magnitudinem ad eum admittant. Nam si in magno *dignitas* est maior; in paruo est maior *necessitas*: quæ passa repulsam, clamabit in cælum, & exaudietur à Deo, apud quem non est acceptio personarum.

Hoc idem vitium locum etiam habet, & inficit *electiones*, quæ sunt etiam actus iudicij: si quidem ipsi Electores suo modo sunt etiam iudices: eritque acceptio personarum, si dignitates & honorata alia officia indignis aut minus dignis conferantur, propter solos titulos aut nomina, quæ nihil conferunt ad ipsam dignitatem, vel officium. quemadmodum dixit S. Augustinus, quomodo ferre possumus, vt quis diuitem eligat ad Ecclesiasticam dignitatem, neglecto paupere sapientiore & sanctiore: *opulentia* enim non est causa sufficiens, cur ille eligatur; sicut nec *paupertas*, cur alter reiiciatur. Idem verò dicendum est de *admonitionibus*, reprehensionibus, & pœnis, quæ iuxta leges iustitiæ debent delictis commensurari, absque acceptio- ne personarum, non grauius *pauperem* puniendo, eò quod pauper sit; nec minus *diuitem*, eò quod sit diues: si est aliàs delictum par.

§. II. Ratio & modus cum perfectione iudicandi.

EXHI s licet transire ad *secundum* quod proposueramus, *modum* scilicet administrandi iustitiam: coniungendo illi alias virtutes comites ad iudicandum, quemadmodum ipse Deus iudicat, de quo Sapiens: *cum sis iustus, iuste omnia disponis*. Modus hic in primis consistit in puritate *intentionis*, ita vt Iudex non quærat præcipue proprium lucrum, aut ho-

Exod. 23. 3.

m Ecc. 4. 10.

Misericor-
dia iustia.

n Deu. 1. 17.

Misericor-
diandi.

S. Th. 2. 2.

q. 6. a. 3.

Electio iu-
sta.Corruptio
aqua.

Modus.

a Sap. 12. 1)

I.

Pura in-
rentio.
Lib. 8. mor.
cap. 13.

Ne sit iu-
stitia exte-
rior: an-
tum.

2.

b 2. Par. 19

7.

Zelus.

c Ps. 100. 8.

d Rom. 13. 4

e Jer. 1. 11. 13.

Præveni
aut mali-
puni.

f Rom. 13. 1.

g Gen. 3. 24.

rem, aut laudem ab hominibus; sed gloriam Dei & Reipub. bonum; pacem, & concordiam, civiumq. utilitatem. Et hoc (ait S. Gregorius) est quod iustum, est iuste facere: faciendo scilicet iustitiam; ipsiusmet iustitie intuitu, & amore. Nam etsi Iudex iustam ferat sententiam; si tamen pro ea pretium aliquod accipiat, quasi eam vendendo; aut ex odio & malevolentia in proximum: aut animo vindictæ propriæ sumendæ; aut opinionem acquirendi exactissimi in delictis puniendis; aut ob alios inanes fines; is inquam non est perfectus Iudex; ut qui deficiat in modo & intentione, à qua suum virtutes accipiunt valoré & perfectionem: quare similia opera sunt tanquam corpus sine anima; & iustitia solum exterior sine interiori, quæ tamen virtutis est velut anima.

Ex hac intentionis puritate, quæ verò iustitia amore fulcitur, duæ aliz virtutes magni momenti oriuntur: Vigilantia scilicet, & zelus benè præstandi officium suum in rebus omnibus necessarijs, iuxta illud Regis Iosaphat: *videte, quid faciatis, & cum diligentia cuncta facite*: magno scilicet zelo circa legum custodiam vigilantes, cum iudicatis & peccata, discordias earumque occasiones opportunè prævenientes, ac efficaciter remouentes, peccatores verò punientes. Eum in modum, quo Dauid c. manè interficiebat omnes peccatores terre; hac sua diligentia insinuans, se diu vigilare, & hanc mane tanquam primam curam suscipere, ut qui agnosceret se valde ad id adstrictum, ratione officij, & imminentis periculi: ne populus ex ipsius incuria periret, nisi statim atque delictum apparere inciperet, ipse vigilaret, ut præveniret, ac repelleret. Et hoc indicant duo iudicium insignia, virga scilicet recta, qua aliqui vtuntur; & d. gladius, quo vtébantur antiqui, quibus licet accommodare insignes illas duas Jeremiæ Prophetæ visiones: alteram, qua e. vidit virgam vigilantem; & alteram, qua ollam succensam; & faciem eius à facie Aquilonis. Quæ olla in morali sensu non aliud est, quàm Respublica ipsa, passionum ac visorum igne succensa: sufflante & fouente ipso Demone, vento detestandæ suæ suggestionis. Ipsa verò virga vigilans, est virga iustitiæ Dei, semper vigilans, & attendens ad præveniendâ & puniendâ delicta. Et in Hebræo appellatur amygdali virga: quæ arbor reliquas omnes arbores prævenit in floribus ac fructibus proferendis: & ita iustitia prævenit, & in suis operibus prosperat, quando nostra peccata id exigunt, & promerentur. Quam debent iudices imitari, qui eam virgam in manibus gestant, ac diligenter attendere, ut manè, hoc est tempestive præveniant ad huius ollæ ignem extinguendum, aut puniendum peccatorem intra eam ardentem. f. Non sine causa, ait Apostolus loquens de magistratu) gladium portat: ut intelligamus executorem illum esse diuinæ iustitiæ: & quidem similem esse debere f. gladio illius Cherubim quem Deus collocavit ante paradisum, qui flammens erat, atque versatilis: quo discrimen insinuat inter Iudices sæculi, & Christi. Illi enim gladium ge-

stant

stant ferreum & chalybeum : quia gubernationem suam supplicij timore fulciant : quos verò Deus constituit Iudices, gladium habent *flammeum*, qui non solum significet *seueritatem* exterritum rebelles peccatores ; sed zelum etiam *charitatis* & amoris, quo *versatur* citissime : vt in tempore ad sit ad puniendum & præueniendum peccatum, antequam *canceri* instar reliqua Reip. membra inficiat. Iure verò optimo qui hunc gestat gladium *Cherubim* appellatur, quod significat *scientia* plenitudinem : magna enim scientia necessaria est ad rectum eius vsum, *minando* aut *puniendo*, quando & pro ut opus est, ad bonum cõmunitatis : alioquin intolerabiles sequerentur errores, vt supra est dictum.

PRÆTEREA, quoniam virtus Zeli quandam affinitatem cum *Ira* habere videtur, necesse est, *tranquillitatem* & interiorem quietem sociam illi adiungere, quæ omnes motus & impetus moderetur, quos hæc passio sub quodam *zeli pallio* producit: qui valde aliàs sunt *periculosi*, vt ait S. Gregorius: quia enim quod re ipsa *vitium* est, *virtutem* indicat: vehementiori quodam *furore* habenas laxat, sibi persuadens, *rectum* esse, quod agit. Et hoc quidẽ magis communiter accidit in *duobus* casibus. *primus* est, quando simul cum iniuria Dei & proximi accepta *propria* iniuria coniungitur. Prodiens enim zelus ad iniuriam alienam ob commune bonum vlciscendam facile insert se illa ira, quæ propriam iniuriam vlciscatur, vt euenire solet, cum reus aliquam facit Iudici irreuerentiam : quæ iniuria lædit auctoritatem officij & ipsius personæ. Et in his casibus necesse est zelum comprimere: vt corrigat tanquam *publica* persona, quod sit contra ipsam ; condonet verò tanquam *privata* iniuriam sibi illatam: & ita contra delictum agat, atque si non in ipsum, sed in alium tantum fuisset admissum. Indicium autem, quod ita faciat, erit; si aliàs *facilis* sit ac propendeat ad proprias iniurias in alijs casibus *condonandas*, quemadmodum *g. Moyses* erat *vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra*, & modestissime ferebat, ac murmuraciones & querelas contra se exurgentes condonabat: at idem, quando opus erat, ad vlciscendam iniuriam Deo illatam, tantam stragem fieri curabat, vt vel vna die *h. ceciderunt quasi viginti tria millia hominum*, eò quod fecissent sibi *vitulum constabilem*, eumque adorassent. Idem autem faciebat Rex Dauid, vt supra dictum est. *Alter* casus est, cum ipse Iudex ex naturali sua constitutione *cholericus* est, & *ira* passioni subiectus : qui propterea titulo *zeli* facile accenditur. debet enim tunc valde sibi attendere : quia ira non debet zelo dominari, sed *subseruire* ; nec illum præcedere: sed sequi. Zelus enim præcedens iubet iram excitari, & in auxilium ipsi venire: & illa imperanti parere debet regulas sequens iusti zeli quas non transgrediatur, iuxta illud Dauidis : *i. irascimini, & nolite peccare*. A. ci-

Seueritas benigna.

Scientia.

3. Tranquillitas.

3 part. 1. 17. admon. 17.

In propria iniuria.

Facilis sit ad condonandum.

g. Nu. 12. 3.

h. Exod. 32. 25. 8. Cap. 7. 62.

ira zelum sequatur.

i. Ps. 14. 5.

Ira bonum
& malum.

k Sap. 12. 18.

Memento
homo.

ubi supra.

Zelus man-
suetus.

Natura
corrigen-
da.

Perseueran-
tia.

k Cant. 8. 6.

pite, quod bonum est iræ, *vinacitatem* scilicet & efficacitatem, quam zelo addit ad exequendum quod decreuit: sed omittite malum, quod ex nimietate sua habet: qua iudicium & rationem turbat, & animæ oculos *excacat* hoc enim impedit bonam executionem eius, quod zelus imperat. Quis enim magis est zelosus ipso Deo: de quo tamen dicit Sapiens: *k Tu Dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos, accommodans consilia & dispositionem tuam imbecillitati nostræ. Quamuis enim delictum, iustimo sit odio dignum, iræque & vindicta merito exerceatur ad illud destruendum; iudex tamen respicere illud debet in homine carne induto imbecilli, ac miserabili; & eiusdem, cuius ipse iudex est, natura; decet autem eiusdem rationem habere, carnisque imbecillitati compati. Meminerit etiam solere interdum, fortes commutari; & qui hodie est *iudex*, posse cras esse *reum*. nam (vt Sanctus Augustinus dixit) nullum est peccatum, quod faciat *unus* homo, quod non possit *alter* facere. Cum hoc igitur timore iudicet ipse, sicut cuperet ab alio iudicari: iram temperans *mansuetudine*, & iustitiam *clementia*; adiungens Zelo reliquos *charitatis* actus; ipsius Fratres, huius verò excellentis virtutis filios quæ reliquas omnes tanquam sorores coniungit; vt alia ita alias iuuent, vt non se mutuo impediunt. Ita vt *zelus* stimulet quidem mansuetudinem; sed ipsa *mansuetudo* feruorem zeli reprimat, & contineat. Ac propterea Spiritus sanctus (vt Sanctus Gregorius perpendit) apparuit in forma *ignis & columbe* quia omnes, quos implet, & *columba simplicitate mansuetos, & igne zeli ardentem efficit*. ac proinde nõ censetur diuino hoc Spiritu plenus, qui, vel ob mansuetudinis tranquillitatem, feruorem zeli deserit; vel ob zeli feruorem *mansuetudinis* virtutem amittit. Quare quisque naturalem suam constitutionem bene agnoscere studeat, quam, si nimium *mitem* deprehendat, seipsum stimulet, vt fiat Zelans: si autem valde *zelans* est; seipsum reprimat, vt mitis fiat: & ita medium obtinebit, in quo virtus consistit, & iustitiam in omnibus plenè seruabit.*

Ex hoc rectè moderato Zelo oritur *ultimum* quod spectat ad Iudices *constantia* scilicet, ac perseuerantia in *faciendo quod iustum est, iuste* vsq; ad finem ipsius negotij, & vsque ad finem vitæ aut officij sui: ita vt nec ob animi pusillanimitatem, aut ignauiam; nec ob prætextum misericordie aut mansuetudinis; nec ob alium quemcunque humanum respectum, *faciendæ iustitiæ* desit. Nam quo ad hoc zelus Iudicis debet esse inflexibilis, iuxta illud Canticorū: *k Ira sicut infernus amulatio, siue zelus: in quo inferno elucet iustitia diuina plenissimè absque vlla vnquam flexione. Quod si qui præstantes tentent illum flectere, aut remittere in eo, quod merito facere debet: zelus conuerti debet in sanctam quandã contra eos iram, tanquã contra*

suos

1 Isa. 63. 5.
Ira sancta.

suos hostes, dicens illud, quod Christus apud Prophetam dixit de seipso: *calcavi inimicos meos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea, & saluaui mihi brachium meum, & indignatio mea ipsa auxiliata est mihi.* Zelus enim adiuuat iustitiam, vt in despectum ipsius mundi, & carnis, ac sanguinis victrix euadat, feratq; vltimam suam sententiam: nec sistat, donec plenè illam exequatur. Non id volo dicere, vt Iudex *inexorabilem* se in rebus illis præbeat, in quibus iustitia habet suam latitudinem; & quando absque eius detrimento admittere potest appellationem, aut preces, aut indulgentiam aliquam; & moderatione adhibere: propterea enim dixit Ecclesiastes: *in noli esse inustus multum, sed rigorem & seueritatem moderatione tempera.* Tota tamen moderatio debet se intra iustitiæ limites continere: qui cum DEI offensione, ob nullius intercessionem, aut respectum humanum præteriri debent. Perpendit Rupertus, quod gladius flammeus, quem habebat Cherubim in manu, *in esset versatilis*, vt facile posset verti & flecti, quo significabatur, sententiam Dei in hac vita admittere supplicationem, & preces: temper tamen esse *flammeam*, quæ splendet, ac purificat: vt Iudices intelligant, se non debere in suo iudicio proteruos esse ac pertinaces; sed *dociles*: vt, quando ira expediet, illud mutant: ita tamen, vt contra puritatem & rectitudinem nihil admittant.

in Eccl. 7. 17.
Iustitia inexorabilis,
sed docilis.
in Lib. 31. in
Gen. 6. 31.

§. III. *Quid sit superioribus Iudicibus erga suos officiales faciendum.*

ALIA quoque obligatione non parua tenentur Iudices *superiores* erga suos *officiales* & ministros, qui in iustitia administranda ipsos adiuuant, quæ *duas* partes complectitur: *prima* est; vt, si ad ipsos spectet, eos *eligere*; non id faciant clausis: vt dicitur oculis; sed diligenter attendentes, vt necessarias illi qualitates ac dotes habeant ad sua officia ritè præstanda: alioquin ipsi Electoribus tribuentur illorum errores: *altera* est: vt *vigilent* ac diligenter attendant, an illi ita plenè sua munera expleant vt neque *versatis*, neque *iustitia* terminos transgrediantur; sed in *utraque* sint reliquis bono exemplo. Nam (vt ait Ecclesiasticus): *a secundum Iudicem populi, sic & ministri eius*, quare si Iudex est *iustus*: ministri eius ab eo discunt zelum iustitiæ, ad sua officia ritè peragenda, iuxta formam superius positam: vt solum *fiant quod iustum est; & quidem iuste*. Nemini inferentes iniuriam. Quare meritò debent illis seridè inprimis commendare, vt regulam illam perfectionis exactissimè seruent, quam S. Ioannes Baptista quibusdam publicis officialibus præscripsit, dicens: *b nihil amplius, quam quod constitutum est vobis, faciatis: neminem conculcatis, neque calumniâ faciatis: & contenti estote stipendiis vestris.* Quibus verbis monet iustitiæ ministros, vt si pro suo labore *mercedem* habeant constitutam, aut *taxam* à legibus præscriptam, aut ex *conuen-*

1.
Elige.2.
Vigila.

a Eccl. 10. 2.

b Lm. 3. 13.